





29  
15  
1744 6

DISPUTATIO II.

Q. D. B. V.

POSITIONES

DE

NATVRA  
CAMBIORVM

PRAESIDE

IO. CHRISTIANO HEDLERO, D.

CVRIAE PROVINCIALIS IN LVSATIA INFERIORI  
ASSESSORE, CVRIAE PROVINCIALIS ET CONSI-  
STORII ECCLESIASTICI VITEMBERGENSIS  
ADVOCATO

D. XV. IANVAR. cl<sup>o</sup> lccc xxxxtix


IN

AVDITORIO IVRIDICO

DEFENDET

CAROLVS FRIDER. MÜLLERVS

LVBENA LVSATVS.



VITEMBERGAE

IMPRESSIT IO. GVILIELMVS BOSSOEGELIVS.



DESSERTATIO II.  
G. D. D. V.  
POSITIONES  
DE  
NATURA  
CAMBIVM

HAEREDIT.  
IO. CHRISTIANO MÜLLERO, D.  
CURIAE PROVINCIARUM IN FRYLANDI INTERIORE  
ASTROLOGI, CURIAE PROVINCIARUM ET CONS.  
SECTORIUM INSTITUTIONUM VIDERENSIS  
D. M. LXXXV. DE WASSON.  
IN  
ATHEMIO IVRISCO  
CAROLI FRIDERICI MÜLLERS  
M. DCC. LXXXV.  
UNIVERSITATE GYMNASII POSTOLITANA





DE  
NATVRA CAMBIORVM.

---

*Posit. I.*



**D**e verborum origine, ac significatio-  
ne, vt fit sollicitus ICtus, non pau-  
cis minime necesse videtur. Prisci-  
ano non subiacere leges ait BLON-  
DELLVS *Vol. I. Conf. 33. n. 2.* et,  
verba coelestis oraculi meriti ex re-  
gulis Donati vehementer indignum  
existimat Pontifex *C. 13. D. 38.*

*Posit. II.*

**S**ed enim vero iuris studiosum nosse oportere, vnde  
nomen rei descendat, non tantum Vlpianus haud  
obscure praecipit, *L. I. pr. ff. de Iust. et Iur.* sed et rei cu-  
ius-

iusdam pertractandae ratio vocum interpretationem efflagitare videtur, propterea quod ad solidiorem rei cognitionem nominum enodatione via parari solet. Eo quae pertinent, breuiter ego strictimque exponam.

*Posit. III.*

**C**ambii vox flectitur ab antiquo verbo cambire, quod **CALCIATVS** annotat. *Lib. I. Paesey. c. 45.* et **PRISCIANVS** citat. *Lib. X. c. 11.* ex **CHARISII** *Lib. III.* vel etiam a Cambiare, quod in Iure Feudali *I. Feud. 4. §. 2. I. Feud. 22. §. 5.* et in Iure Canonico *c. 6. X. de Except.* denotat permutationem, vel dationem rei pro re. Pontifex enim, quod antea vocauerat permutationem, deinde cambium nuncupat. Veteribus Cambiare, vel Cambire nihil aliud est, 'quam permutare. Vid. **RIVINI** *Dissert. de Cess. lit. Camb. 4.* Caeterum Cambii deriuationem etymologicam tradunt, **ZIPFFEL** *de Tesseris Collybificis §. I.* **MAR- QVARD.** *de iure Mercat. Lib. 2. c. 12.* **STRYK.** *de Accept. Lit. Camb. Lib. I. c. 2.* **GVALTH.** *de Camb. Thes. I. lit. a.*

*Posit. IV.*

**C**ambium 1) in sensu latissimo cuiuscunque rei in aliam commutationem, sed *παχυλος*; 2) in sensu lato, vnus rei cum alia permutationem; 3) in sensu stricto permutationem pecuniae cum alia pecunia; 4) permutationem pecuniae ex alterutra parte absentis cum praesente, ope breuis instrumenti, significare dicunt,

cunt, qui quidem significatus strictissimus esse videtur. Deinde 5) voce ista ipsum instrumentum, seu literas cambiales, efferunt; et denique, ubi et propter alia debita literarum cambialium vsus postea inualuit, 6) *quamvis conuentionem*, eiusmodi instrumento munitam, cambium dicere coeprum est. Vid. FRANCKII *Ius Camb. Tit. II. §. 3. 4. 5.*

*Posit. V.*

**C**ambium dicitur et Cambire, Italis Cambiare, Hispanis Cambiar, Gallis changer, Belgis Wisseln, Danis Bexeln, Germanis Wechseln, quod aliqui Wechseln scribunt, docente CARPZOVIO *de Camb. tb. 3.* PETR. MVLLER ad STRVV. *Syntagm. Iur. Ciu. Exercit. 25. tb. 39. in fin.*

*Posit. VI.*

**C**ambii definitionem, quae omni ex parte propriam vim naturamque exponat, difficulter habebis. Etenim singularim potius, quam generatim, plerique Doctorum hodie cambiales res tractarunt, ideoque ipsis Cambii definitio tantopere non fuit curae. Explicarunt tamen interdum qualitercunque, ut intelligi, ab aliisque distingui, possit.

*Posit. VII.*

**V**t definitiones, seu descriptiones, quae mihi optimae fuerunt visae, aptius applicem, distincte cambium

um considero, 1) tanquam medium negotiationis commodius perficiendae; 2) tanquam negotium Creditorem inter et Debitorem, ubi ille huic pecuniam dat mutuam, schedulam accipiens cambialem, quae, ut ait ILLUSTRIS ac GENEROSISSIMVS DOMINVS a LEYSER, *Medit. ad ff. Sp. 371.* creditorem tam securum reddit, ac si ipsos numos haberet. Admittit enim executionem in personam, mediante Processu Cambiali, et nemo mortalium creditur esse adeo libertatis naturalis osor, quin omnia adhibeat, ut molestias Carceris euitet. RIVINVS in *Dissert. de Claus. Camb. f. 2.*

*Posit. VIII.*

**C**ambio pro medio negotiationis commodius perficiendae accepto, locus erit Definitioni, quam habet GVALTHERI in *Diss. de Camb. tb. I. Cambium est Contractus consensualis dandi, et reddendi tantundem pecuniae, in diuersis locis, ad commodiorem usum negotiationis nouiter introductus.*

*Posit. IX.*

**R**e ex posteriori diuisionis parte considerata, placet Definitio FRANKII, in *Instit. Iur. Camb. Lib. I. Sect. I. Tit. 6. f. 3.* *Litterae Cambiales sunt breue instrumentum cambii mentione munitum, ex quo alicui certa pecuniae summa ab alio soluenda est.*

*Posit.*





Posit. X.

Observata hac distinctione, nulla mihi cum iis est  
dissentio, sed potius consensio, qui contra-  
ctum Cambialem non esse consensualem, sed litera-  
lem, seu chirographarium, autumant, et in Con-  
tractu Cambiali scripturam necessario requirunt, ideo-  
que, antequam accedat illa, obligationem cambia-  
lem non oriri, asserunt. Namque Cambium prio-  
ris generis consensu perfici, isque vel verbis, vel  
per nuncium, vel per epistolam declarari potest, et  
scriptura principaliter non est opus. Contra vero  
cambium posterioris generis Scripturam tam necessa-  
rio requirit, ut omnino, antequam illa accedat, ob-  
ligatio cambialis non oriatur.

Posit. XI.

Sunt equidem, qui, Scriptura hic contrahi, ne-  
gant; sed argumento, si quid video, non ad-  
modum firmo subnixi. Aiunt enim Scripturam ma-  
gis ad naturalia, quam ad essentiam cambii pertinere,  
et, si aliunde probari possit, partes consensisse, nihil  
esse causae, quare obligatio non contrahatur, et de-  
tur actio, SCACC. *f. I. qu. 5. n. 10.* RHETIVS de  
*Versur. c. I. th. 10.* BOENIGK. *ff. Lib. IV. c. 29. n. 9.*  
et alii. Enimuero, quamvis fatear, et sine literis hoc  
modo contrahi posse, nec negem, ex solo huiusmodi  
promisso nasci obligationem; illa tamen obligatio  
non est cambialis, sed talis, qualis ex omnibus con-  
ventionibus et pactis oritur. Actio autem cambialis,  
die

die Wechsel-Klage, tum demum competit, si literae cambiales producantur in foro. Tunc demum parata est executio illa promptissima, et arrestum, quod vocant personale, quibus cambiales lites a reliquis se- iunguntur, WILLENBERG *de except. dol. mal. in camb. cessant. §. XVI.*

*Posit. XII.*

**I**n Cambio prioris generis quatuor personae ple- rumque occurrere solent.

*Posit. XIII.*

I.) **R**emittens scilicet, qui pecuniam primo exsoluit, quam alibi per Cambium iterum exsolui deside- rat, et vocatur, der Herr des Wechsels.

*Posit. XIV.*

II.) **T**ractans, vel Trassans, qui in se suscipit solutio- nem, alibi praestandam, et hoc sine Remittenti plerumque schedulam cambialem tradere solet, der Ausgeber des Wechsel-Briefs, oder der Geld auf Wech- sel nimmet, qui alias etiam Campsor dicitur, GAIT, *de Credit. c. 2. t. 7. n. 1206.* Et hinc Campsor est verus debitor Remittentis, qui ex contractu ipsi obligatur, ad Cambium alibi soluendum, RAPHAEL *de Turvi de Camb. Disp. 2. Q. 2. u. 2.*

*Posit.*

*Posit. XV.*

III.) **P**raesentans, cui scilicet fit remissa, et cui alibi praestanda est solutio Cambii, siue ipse sit dominus Cambii, siue eius Mandatarius.

*Posit. XVI.*

IV.) **A**ceptans, cui videlicet fit Tratta, vel Trassa, et is est Mercator ille, qui alibi Cambium soluere debet, auf den der Wechsel gezogen ist. Vid. STRYK. *de Caut. Contract. p. 446.* Hic post acceptationem eodem modo, quo ipse principalis debitor, Trassans scilicet, obligatur; et ante acceptationem Trassatus vocatur.

*Posit. XVII.*

**I**n Cambio posterioris generis, in cambiis scilicet a scriptore soluendis, duae tantum personae principales, debitor et Creditor, concurrunt. Atque inter hos Scriptura omnino est necessaria, si obligatio cambialis oriatur; eaque ipsam vocem cambii contineat, necesse est.

*Posit. XVIII.*

**C**ambium vt supra distincte et dupliciter consideraui, ita pariter ipsum ius Cambiale diuido, 1) in Comune, das gemeine Wechsel-Recht, quod inter Gentes receptum est, et 2) in locale, quod speciatim in certo quodam loco, seu in certa quadam Republica introductum est.

B

*Posit.*

*Posit. XIX.*

**C**ambium qualis sit contractus, verum nominatus, an innominatus, a Iuris disceptatur. Alii inter nominatos, alii inter innominatos referunt; dantur etiam, qui mixtum esse asserunt, propterea, quod partim ex nominato, partim ex innominato, constare videatur. Quot capita, tot sensus! Ad controuersiarum Cambialium decisionem aut parum, aut nihil, facit omnis illorum sollicitudo, qui magno labore inquirunt, ad quam Contractuum Romanorum Classẽm Cambium oporteat referri.

*Posit. XX.*

**C**ambium esse contractum, in hoc conueniunt fere omnes. Nec incongrue. Occurrit enim *Συνάλλαγμα*, et actio inde profluit. Sed quid refert, nominatusne, an innominatus, vocetur.

*Posit. XXI.*

**N**amque Cambium priscis Romanis, Iurique Iustiniano, prorsus fuit incognitum, ideoque nomen in ipso Iure Iustiniano haberi nequit. CICERO 4. ad Herennium ait: *Quæ res apud nostros non erant, earum nomina non poterunt esse usitata.* Et I. de Natur. Deorum: *Rebus nouis noua sunt imponenda nomina.*

*Posit. XXII.*

**A**dde, quod per consuetudinem, siue ius non scriptum, quod pars est iuris ciuilib, *f. 2. Inst. de I. N. G. et C.* legisque vim obinet, quia diuturni mores consen-

fenſu vtenium comprobati legem imitantur, vt verba ſonant, *f. cit.* nouus nominatusque contractus introduci poſſit, ex quo reſulter actio contractui conformis, vid. OLDENDORP. *Clasſ. 5. art. 17.* ubi cum BARTOLO ad leg. I. *ff. de Condict. ex lege* ita ſcribit. *Vbicunque per conuetudinem introducitur nouus atque nominatus contractus, ibi non ex lege, vel ex moribus, ſed ex contractu eſſe agendum.* Vid. RAVMBVRG: *in Iuſtitia ſelecta Gentium Europaeorum in Cambiis aliisque cauſis mercantilibus c. 3. ff. 9.*

*Poſit. XXIII.*

**H**is poſitis cum Contractus Cambialis habeat proprium nomen, et actionem ſcilicet ex Cambio, RAPH. DE TVRRI *de Camb. Diſp. I. qu. 10. n. 18. 19. 20. 21. et Diſp. 2. qu. 16. n. 82.* praeterea poenitentiae locus non ſit, certe et ſatis habere rationis videntur qui nominatis eum annumerant.

*Poſit. XXIV.*

**R**eſpuo igitur cum ILLUSTRIS AC GENEROSISSIMO DN. A LEYSER *Med. ad ff. Sp. CXXXIII.* omnem diſputationem, an ſcilicet pactum nudum, pactum legitimum, contractus innominatus ſingularis, permutatio, contractus do vt des, contractus do vt facias, depositum, mutuum, ſtipulatio, locatio, emtio, mandatum, in cambio interueniat. Nihil enim inde vel ad negotii Cambialis vtilitatem, vel certitudinem confertur, et, quemadmodum ſupra dixi, ad controuerſiarum Cambialium deciſionem, aut parum, aut nihil facit omnis haec ſollicitudo, omnis diſputatio.

B 2

*Poſit.*

Post. XXV.


Natura Contractus Cambialis differt 1) a *jure arrestandi* ob debitum in continenti liquidum. Eundem effectum quidem fortitur ius arrestandi, sed non habet naturam Cambii 2) a *mutuo*, quia hoc non tam rigorosam inducit obligationem, quam quidem Cambium 3) ab *Emtione Venditione*, quia in hac non mutatur pecunia cum pecunia, sed res cum pecunia, 4) a *Contractu innominato*, quia Contractus Cambialis proprium nomen habet, et actionem. 5) ab *Assignmente*, in qua semper tres personae requiruntur, in Cambio vero et quatuor interdum occurrunt, interdum duae sufficiunt.

Post. XXVI.

Quae mei praesentis institutio potissima fit ratio, fas est semel ut dicam. Occupabor vel vnice, vel praecipue, in Cambio posterioris generis, eo videlicet, quod Creditori Debitor, secure pecunias collocatas repetendi causa, tradit. Ex caeteris si quid admiscuero, amoenitatis potius, quam necessitatis fieri causa, velim, credas.









Wittenberg, Diss., 1748/49

ULB Halle

003 345 947

3




TH → a

W 18/ka 7 12

W 18







DISPVTATIO II.

Q. D. B. V.

SITIONES

DE

# TVRA BIORVM

PRAESIDE

TIANO HEDLERO, D.

NCIALIS IN LVSATIA INFERIORI  
RIAE PROVINCIALIS ET CONSI-  
LESIASTICI VITEMBERGENSIS  
ADVOCATO

IANVAR. cl<sup>o</sup> Idcc xxxix

IN

ORIO IVRIDICO

DEFENDET

FRIDER. MÜLLERVS

LVBENA LVSATVS.

VITEMBERGAE

IO. GVILIELMVS BOSSOEGELIVS.

29  
15  
1748 6

